

memadmodum libido, quæ vitium est præ-
seps omnino et cæcum, illum expectorato pu-
lore atque prudentiâ, cæcum reddiderit et
excordem, quandoquidem non dubitat animi
vulnus tam fœdum atque olidum nuntiis ape-
rire, neque sit verecundatus ostendere se
muliebri succubuisse pulchritudini, quem ne-
que leo et ursus, neque postea Hebræorum
terror, Goliath, neque mille deinde tela fran-
gere aut domare potuere. Neque enim credibile
est, ignorasse nuntios, quid animo designasset
David, cum ad se feminam evocavit ignotam
antea, aut nescisse nobilissimi viri copula-
tam conjugio. Quare in rege desiderarent et
constantiam in cohibendâ libidine, et justitiam,
cum innocentis viri thalamo violenter illude-
ret. Tulit illam David non vi, ut apparet, et
quasi armatâ pro regiâ potestate manu; sed
suasione, aut prece, qualibus utuntur, quos
cæcus instimulat amor. Neque enim benè con-
veniunt majestas et amor, et dum suam ex-

se illam prædicari declaravit. Idem ex S.
Gregorio descripserunt Eucherius, Angelom.
Rupert. et alii; ac similia habet S. Ambros.
Apolog. 1 Davidis, c. 3. Pergit S. Gregor.:
«Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus oc-
cidi debeat, mittitur, quia idem ipse Judai-
cus populus legem portat, quâ convincente
moriatur. Dum enim mandata legis retinens,
implere renititur, ipse defert judicium,
unde damnetur.» Unde concludit: «Quid
per factum istud Davide sanctius? quid
Uria mundius dici potest? Sed rursus, per
mysterium, quid Davide sanctius, quid Uria
infidelius invenitur? Quando et ille per vitæ
culpam, prophetiæ signat innocentiam, et
iste per vitæ innocentiam, in prophetiâ ex-
primit culpam.» Verum hæc allegoriæ non
sunt propriæ et primæ classis, sed secundæ et
impropriæ, quia laxiores sunt, nec ex æquo
respondent literæ et historiæ. Est enim in eis
aliqua quidem proportio et analogia, at non
per omnia similis, sed in multis dissimilis.
Quod enim David fecit cum peccato, hoc Chris-
tus fecit ex sanctitate et misericordiâ. Quare
in his allegoriis David non tam spectandus est,
ut initio adulterans cum Bethsabee, quam ut
postea eam sibi copulans matrimonio. Sic enim
representavit Christum despondentem sibi
Ecclesiam ex gentibus.

Rursus Urias vir fortis, fidelis et pius, non aptè
representat diabolum, nisi quatenus ipse fuit He-
thæus. Si enim per Hethæum accipias Gethæum
oriundum ex Geth, urbe Philistinorum, vel He-
thæum, id est, oriundum ex Hethæis, qui erant
una ex septem gentibus Chananæorum, quas
Deus deleri jusserat, uti nonnulli accipiunt,
sic rectè Urias representat diabolum, utpote
patrem impiorum et infidelium, quales erant
Hethæi et Chananæi. Simili modo Osee jussu
Dei cap. 1, meretricem duxit in uxorem, ut
representaret Deum et Christum, qui in Ec-
clesiâ sibi copulavit idololatrias, qui antea cum
idolis mysticè fornicabantur. (Corn. à Lap.)

pleant cupiditatem, non admodum aut curant,
aut expendunt amantes, quid majestas exigit,
aut dignitatis ratio. Neque illa videtur relu-
etata diu, aut admodum ægrè tulisse interpel-
lari se de adulterio, quando de eâ dicitur:
Cum ingressa esset ad illum, dormivit cum eo.
Qui loquendi modus non indicat illam feminam
ad regis votum fuisse difficilem.

STATIMQUE SANCTIFICATA EST AB IMMUNDITIA
SUA. Mirum est, quam in hæc sanctificatione
explicandâ varii sint auctores, quorum opi-
niones refert Abulensis q. 7, et Dionysius in
hunc locum. Quidam sanctificationem esse
putant, quia illa, cum lavavit se, menstruam
patiebatur illuviem, quam lotionem à se mun-
ditæ gratiâ detergere voluit; cum autem fuit
primum à Davide cognita, cessavit menstruum
illud sanguinis profluvium, quod sistit fetus
in utero conceptus. Quare opinio non est
omnino contemnenda. Nam rediit domum con-
cepto fœtu; deinde cum ex menstrui sangui-
nis cessatione (neque enim tempore consueto
rediit impurus ille sanguis), cognovisset se
concepisse, quod antea deprehendere non po-
terat, significavit Davidi se concepisse. Ces-
sante autem illius impuri sanguinis illuvie,
sanctificata, id est, purificata dicitur, id est,
non polluta aut immunda: quo sensu vivifi-
catus ille dicitur, qui non est mortuus; et ille
hominem vivificasse, qui illi, cum posset,
vitam non eripuit. Hæc est omnium penè in-
terpretum sententia. Cui ego etiam, ne illis
adversari videar, lubens subscribo.

Alii dicunt, sanctificatam esse Bethsabee in
illo nocturno congressu cum Davide, quia steri-
litas ante fuerat, et tunc concepto fœtu, steri-
litas deposuit opprobrium. Alii dicunt ab
immunditiâ suâ fuisse sanctificatam, quia
semel tantum cum David illicitam illam con-
suetudinem habuit. Quasi dicas: Sanctè se
deinceps et castè gessit. Hebræi, ut refert
Abulensis q. 7, sic exponunt, sanctificatam
esse, id est, lotam ab immunditiâ scilicet men-
struâ, antequam esset ad Davidis consuetudi-
nem adducta; quod fecit illâ lotionem, quâ suam
Davidi pulchritudinem prodidit.

Ego potius crediderim, hanc sanctificatio-
nem lotionem esse, quâ usa fuit Bethsabee,
postquam reliquit adulteri cubile: nam san-
ctificatio, seu purificatio legalis per lotionem
sæpè fit. Exod. 19: *Sanctifica populum in diem
tertium, et lavent vestimenta sua.* Observat au-
tem Abulensis q. 7, virum aut feminam statim
à concubitu sive cum proprio, sive cum alieno

conjugè, lotionem purificari; adducitque Levi-
tici caput 15, quod tamen ego in eo loco non
invenio. Existimo tamen id fieri solitum, quia
inter Hebræos, ut multæ erant immunditiæ
legales, sic etiam multæ legales erant purifi-
cationes, illæque plerumque ex aquâ. Quod si
à lege cautum non est, ut se statim viri sive
feminæ à nocturno congressu lotionem purifi-
cent, at id saltem fuit consuetudine receptum,
quia maxima putabatur ex eâ nocturnâ copulâ
pollutio. Cui consuetudini ut pareret Bethsa-
bee, se statim recens à coitu purificavit lava-
cro. Id sanè facere consuevisse gentiles, cum
aliquid molirentur sacrum, docuimus alibi.
Sanè ad orationem et sacrificia solere gentiles,
si nocte rei conjugali dedissent operam, mane
se ablutione purificare, docuit Persius, Sa-
tyrâ 2:

*Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis terque, et noctem flumine purgas.*
Hanc sententiam videntur secuti illorum ali-
qui, quibus superior sententia de menstruo
sanguine non improbat. Abulensis q. 7, Dio-
nysius, Hugo. Et favet huic cogitationi, quod
ubi Vulgatus habet, *sanctificata est*, Hebræicè
est, *mith cadeseth*; quod non tam significat
purificationem, quæ est à naturâ, qualis est
cessatio à menstruo sanguine concepto fœtu.
quàm aliquo artificio, aut operâ extrinsecus
allatâ ab illo qui purificatur. Conjugatio enim
septima hithpaël actionem aliquam indicat
reciprocam, quam in seipso aliquis exercet.
Quare idem est atque *purificavit seipsam Beth-
sabee*. Et ita transtulerunt Pagninus, Tigurina
et Hispanica translatio.

VERS. 5. — MITTENSQUE NUNTIAVIT DAVID, ET
AIT: CONCEPI. Cum abesset diu Urias, neque
existimaretur vulgò habuisse cum uxore con-
suetudinem, apparerentque in utero plus so-
lito tumente conceptionis signa, in suspicio-
nem venire poterat Bethsabee violatæ con-
jugalis fidei, cui flagitio lapidatio erat à lege
constituta. Hoc igitur supplicium et infamiam
ut declinaret Bethsabee, maturè admonet Da-
videm, ut videat quid facto opus sit, et quâ
ratione velit suæ salutis ac nomini esse consul-
tum.

VERS. 6. — MISIT AUTEM DAVID AD JOAB, DI-
CENS: MITTE AD ME URIAM HETHÆUM. Non mi-
nùs timebat David, quàm Bethsabee, ne qua in
hominum vulgus tanti tamque indigni flagitii
factor erumperet. Licet enim nihil è legis se-
veritate timeret, quam regum potestas sæpius
eludit, at timere poterat infamiam, quæ re-

gium nomen obscurat, et subditorum movet
et inflammat invidiam. Quod si aliquando con-
tingat, neque pacatus esse potest regnorum
status, neque vita regum à periculo tuta. Uter-
que ita timet, uterque de quærendâ tanti mali
medicinâ laborat, quia et metus urget, et sce-
lerum conscientia urit et instimulat. Pulchrè
hæc Chrysostomus, hom. 1 in Ps. 50, tom. 1,
ponderat et amplificat: «Concepit, inquit,
mulier, et rex putabat posse latere: nam
etsi propheta erat, tamen concupiscentia
obcæcaverat eum. Prægnans ergo facta mu-
lier vadit ad regem, et dicit ei: O rex, perii.
Et ille ait: Quid habes? Prægnans, inquit,
sum. Peccati mei pullulat fructus, accusato-
rem intrinsecus habeo, et in ventre profero
proditorum. Si venerit, et viderit vir meus,
quid dicam? quid loquar? quam excusatio-
nem prætendam? Inveniet me gravidam,
et occidet me accusatore clamante. Videte,
et admiramini fratres, quantum malum sit
delictis et peccatis obnoxium fieri; rex mi-
litem timet, et formidat subditum. Impera-
tor coronam capite gestabat, et confusionis
opprobria metuebat. Nonne tu imperator?
nonne gladii potestatem habes? Habeo in-
quit, sed conscientiam peccati mei timeo
formidinis matrem.» Vide reliqua, quæ
planè sunt Chrysostomo digna.

VERS. 8. — VADE IN DOMUM TUAM, ET LAVA
PEDES TUOS. Paruit Joab regio mandato, statim-
que Uriam abire jussit Jerosolymam. A quo
cum levia quædam interrogasset David, ne
frustra è castris evocasse videretur, tandem
domum abire jussit, non alio consilio, quàm
ut scelus suum artificio tegeret; et fœtus, qui
tunc celabatur in uxoris utero, à legitimo pu-
taretur, non ab adulterino concubitu conce-
ptus. Illud, *lava pedes tuos*, consuetudinem
indicat regionis illius, in quâ eorum, qui exci-
piuntur hospitio, lavantur pedes, et alia impen-
duntur ab amicis humanitatis officia. Lotionis
porrò in Palæstina propter loci naturam fre-
quens est, et fortassè necessarius usus. Unde
neque mirum est, neque eo loco indecorum,
quod laverit se domi Bethsabee, neque in eâ
re si cautionem adhibuisset, ne ab aliquo vi-
deri posset, quidquam esset reprehensione di-
gnum.

VERS. 9. — DORMIVIT AUTEM URIAS ANTE POR-
TAM DOMUS REGIÆ CUM ALIIS SERVIS DOMINI SUI,
ET NON DESCENDIT IN DOMUM SUAM. Quia nomen
suum militia dederat Urias, et juramento sese
obstrinxerat militari, noluit etiam, dum esset

extra castra, videri otiosus à militari negotio. Quare adire noluit domum, ibique cessare ab eo, quod obire in castris milites solent. Ut enim excubias agunt nocturnas, ne quid inopinatum securos opprimat, sic etiam in pace, ad urbis principisque custodiam invigilant. Cum aliis igitur prætorianis militibus invigilare voluit ad portam domus regis, et regii corporis fidelem adhibere custodiam, officii potius et pudoris memor, quam voluptatis et otii. Et fortassè Urias de numero eorum erat, qui dicuntur *Cerethi* et *Phelethi*, id est, qui è regio satellitio sunt, quique à regia domo recedere neque debent, neque solent. Suarum itaque partium duxit bonus Urias, non captare delicias ex uxorio complexu lectique mollitie; sed cubare humi, et videre ne quis regis aut turbaret otium et quietem, aut aliquid insidiosum moliretur.

VERS. 11. — ARCA DEI, ET ISRAEL, ET JUDA HABITANT IN PAPILIONIBUS; ET DOMINUS MEUS JOAB, ET SERVI DOMINI MEI SUPER FACIEM TERRÆ MANENT. Non illum exitum habuit consilium Davidis, quem ipse expectavit, dum ex castris accerseret Uriam. Nam tam longè aberat, ut ab uxoris sinu delicias captaret amatorias, ut neque domum adire voluerit, neque in lecto cœibe cubare molliter. Cum autem severæ illius disciplinæ ab eo causam exquireret David, respondit, neque boni esse militis, neque ejus, in quo esset ingenuus pudor, indulgere voluptati et in molli stragulo lentos captare somnos, cum dux Joab, et qui illius sequuntur signa, humi cubent, et vitam habeant repentinis propositam periculis, quorum quietem interrumpit et turbat buccinarum clangor, et hostilis fremitus. Sed illud hic notandum, primo loco posuisse æquè fidelem ac fortem, et religiosum virum arcam Dei, quam cum videret esse sub papilionibus militari more, indignum putabat, ut ipse vitam profiteretur nisi militarem. Atque idè non decere, domum habitare stabilem et firmam, cum in tabernaculo infirmo et naturâ suâ facilè transmutabili, maneret arca fœderis, quo in Israelitico populo nihil erat angustius. Quæ ratio homini christiano debet esse gravissima, cum illi aut caro intemperantiùs blanditur, et diabolus, qui animos à crucis et severioris vitæ disciplinâ deterret, blandimenta suadet, et mollioris instituti delicias. Tunc autem Christianus, si sapit, et illum pudor tangit ingenuus, dicet cum Bernardo serm. 1 in Nativitate: « Quid magis indignum, quid detestandum ampliùs,

« quid graviùs puniendum; quam ut videns
« Deum cœli parvulum factum, ultrò apponat
« magnificare se homo super terram? Intole-
« rabilis impudentia est, ut ubi sese exinani-
« vit majestas, vermiculus infletur et intume-
« scat. » Eodem, quo Urias, spiritu dixit David capite 7, ad Nathan: *Videsne quòd ego habitem in domo cedrinâ, et arca Dei posita sit in medio pellium?* Vide locum illum, ubi multa accommodatè ad hunc locum. Simile aliquid dixit Ovidius ex honestarum feminarum more in epistolâ Laodamiæ ad Protesilaum, ut videre est supra in hujus libri cap. 7, v. 6. Ut autem arca Dei, ut adderet bellatoribus vires et audaciam, adducta fuerat in exercitum, lib. 1 Reg. cap. 4, quando capta fuit à Palestinis, et cap. 14, tempore Saül v. 18, sic etiam nunc allata videtur à Joab, ut sicut illa olim, quando gloriosas populus victorias obtinuit, erat in castris, quasi dux, sic etiam nunc eodem fungeretur munere, et Hebræis adderet, Ammonitis adimeret spiritus et robur. Ita putant Dionysius et Lyra. Arca verò in castris sub pellibus reddebat, ut opinor, expeditum et leve, quod militibus videri solet austerum et difficile. Sicut ducis exemplum ad superandas difficultates omnes potentissimum est.

PER SALUTEM TUAM, ET PER SALUTEM ANIMÆ TUÆ NON FACIAM HANC REM. Juramentum interponit Urias, quod magni apud regem debuit esse momenti, cum per ipsius vitam et animam esset conceptum, quo nihil homini esse solet charius et optabilius. *Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ*, idem omninò valent, neque hic aliquid est aliud, quam eadem bis iterata sententia: per *animam* etenim ille circumscriptè significatur, cujus est anima. Quare *anima mea* idem est quòd *ego*; *anima regis* idem quòd *rex*, ut mille declarant exempla, quæ nos sapiùs adduximus. Erit ergo sensus: *Per salutem tuam, per salutem iterum tuam, ò rex, juro*, etc.

VERS. 15. — ET VOCAVIT EUM DAVID, UT COMEDERET CORAM SE, ET BIBERET, ET INEBRIAVIT EUM. Quod ab Uriâ sobrio non potuit impetrare David, id putavit extorquendum ab ebrío, quia ebrietas oblivionem inducit, juxta illud Proverb. 31, v. 6: *Date siceram merentibus, et vinum his qui amaro sunt animo: bibant, et obliviscantur egestatis suæ.* Et dum vino æstueret Urias, existimabat fore ut nulla subiret interpositi juramenti memoria. Deinde quia ebrietas libidinem evocat et inflammat, et quos illecebræ nullæ domuerunt, eosdem vi-

num ad luxuriam, et, quam sobrius horrebat animus, intemperantiam adduxit. Notum est illud, despumare in libidinem ventrem æstuantem vino; *friget* enim, ut dixit optimè Comicus, *Venus sine Baccho*. Sanè Hieronymus epist. ad Oceanum observavit, ad unius horæ ebrietatem nudasse femora sua Noe, quæ per sexcentos annos contexerat. Sed nihil perfectit David hoc tam efficaci telo, ut à priore sententiâ commoveret animum: nam licet ebrius esset, non tamen de quiete et somno cogitavit, et multò minùs de illo, cujus est ebrietas magistra; sed ibi cubuit, ubi superiori nocte.

VERS. 14. — FACTUM EST ERGO MANÈ, ET SCRIPSEIT DAVID EPISTOLAM AD JOAB (1). En quò David sua præcipitavit consilia, dum celare vult, quod turpiter admiserat. Inebriarat hominem modestissimum Uriam, quâ in re illi majorem videtur injuriam irrogasse, quam cum vitam eripuit, non solum quia, ut in hoc eodem casu notavit Augustinus serm. 251 et 252, qui alterum cogit, ut se, plus quam opus est bibendo, inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. Sed si humana hæc tantum, et philosophicâ ratione pensemus, multò gravius est hominibus sobriis et honestis à mente dimoveri vino, quam à vitâ ferro. Sed cum priùs ante malum intulisset Uriæ, mortem etiam attulit, ut sui sceleris testem et accusatorem submoveret. Mittit enim litteras ad militiæ principem Joab, jubetque, ut in illam certaminis partem conjiciat innocentem, ubi majus ab hoste sese periculum ostentat, illumque deserat in eo loco, unde evadere non possit incolumis, quasi in eo magnum aliquod deprehendisset flagitium, quod eo mortis genere expiari oporteret. Ecce alteram injuriam. Nam non satis habuit abstulisse uxorem per adulterium, et deinde mentem per inebriationem; sed nunc etiam honorem adimit, dum jubet quasi magni sceleris reum hostilibus telis obvium opponi, et perfidiosè deseri ab illis, qui fortassè eum ab illis angustiis extraxissent incolumem. Adde, quod novum est injuriæ atque miseræ genus, eundem Uriam suæ sibi necis auctorem esse voluit: ille enim litteras

(1) Mysticè Rupert. lib. 11 de divin. Offic. cap. 1: « Tulit David uxorem, inquit, Uriæ Hethæi, ipsumque Uriam fecit occidi ferentem in manu suâ scriptam mortis suæ sententiam, grave quidem committens piaculum secundum rem gestam, sed grande præsignans mysterium per Christum regem vitæ, manu fortem atque desiderabilem, suo tempore peragendum. » (Corn. à Lap.)

à rege accepit, et tulit ad Joab, quibus seipsum in laqueos et insidias inducit.

Ex hoc facto tam celebri ac noto, natum est proverbium inter Hebræos olim, quod etiam nunc apud nostros in usu est, ut cum quis litteras fert, aut mandata contra se, ille dicatur secum afferre litteras Uriæ. Latini dicunt eodem sensu litteras secum ferre Bellerophonis: nam, ut est in fabulis, talia illi contigerunt à rege Præto, qualia Uriæ à Davide. Prætus enim litteras dedit Bellerophonti ad Jobatam, quas Bellerophon commendatitias putabat, cum tamen in illis mandatum esset, ut illum quamprimùm extinguendum curaret. Nomen autem Jobatas, ad quem datæ dicuntur litteræ de cæde Bellerophonis, suspicari nos facit, fabulam illam ab Uriæ historiâ duxisse principium; Jobatas enim non procul distidet à Joab. Neque novum est, aut infrequens, poetas in suis fabulis veras, imò canonicas historias includere. Sanè ex uno Jonâ ad tres fabulas suo more fingendas sumpsere materiam, et Noe totidem, ut nos diximus in nostris Commentariis in Jonam cap. 1, et ex verissimâ Samsonis historiâ multa gentiles falsò in sua commenta transtulerunt. Plura hæc de re Clemens Alexandrinus lib. 2 Stromatum. Nos hæc de re pluribus in cap. 1 Jonæ n. 21, quæ tu vide.

Antequàm hinc emigro, duo mihi de Uriâ observanda sunt. Alterum est, appellari *Hethæum*, cum tamen constet esse Jerosolymitanum, ut patet, quia uxorem habuit, et domum Jerosolymæ, illamque, ut apparet, splendidam, sanè optimo ædificatam loco, utpote proximam regiæ, quando Bethsabæe ex regio solariorum videri, et illius species notari potuit à Davide. Quod sanè indicat Uriæ domum regiæ domui fuisse conjunctam; neque enim aliter tanta femine pulchritudo explorari posset. Dicit tamen potuit *Hethæus*, sicut dicebantur illi qui à filiis Israel è suis sedibus olim expulsi sunt aut quia erat ex eâ gente proselytus, aut quia in loco, ubi habitaverunt quondam Hethæi, aliquandiu commoratus est. Quo modo Judæi in Actibus Apost. dicuntur *Græci, Cretes, Arabes et Ælamitæ*, quia in illis regionibus domicilium habuere. Cujus rei exemplum habemus recens; nam c. 15, v. 18, sexcenti viri, qui fuerunt in Geth, aut in civitate, quæ ad illam pertinebat metropolim, vocati sunt *Gethæi*. *Egressusque est rex* (David fugiens Absalomem) *et omnis Israel pedibus suis: et universi servi ejus ambulabant juxta eum: et regiones Cerethi et Pheleti, et omnes Gethæi pugnatōres validi*